

maiestati vestre deinceps servitiis nostris tam iocosis quam seriis notificare volumus et vestre voluntati super omnia respondere cupimus. Filios hos enim meos omnes litteras discere proposui, ut, qui maioris ingenii nec non maioris inter eos notaretur discretionis, in studio perseveraret. Ex his vero duos ad presens nobilitati vestre mittere proposui, ut vestro iuvamine nec non vestra defensione Parisiis stabilius possent locari, ita tamen, ut salva pace vestra pro discordia, que est inter vos et imperatorem, hoc secure peragere possim. Sicut enim absque medio hamus et capit et capitur, tali modo scimus, quod, quicquid super hos nobis mandaveritis, illud omni dubio remoto aggredi audemus, quia non hoc immutabitis.

10

307.

*Kaiser Friedrich I. schenkt auf Bitten des um das Reich hochverdienten Markgrafen Dietrich (von der Lausitz) der Kirche von Merseburg sieben Mansen im Merseburger Gau, welche der Markgraf bisher vom Reiche zu Lehen hatte. — Zeugen: Markgraf Otto und dessen Bruder Dêdo.*

Lodi, 1162 Jan. 20.

15 *Hdschr.: Or. Perg. Stiftsarchiv Merseburg. Siegel = Heffner V. 33.  
Gedr.: Böhmer, Acta imperii 1,103. Stumpf 3927.*

C. : In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. | Imperialem decet excellentiam fideles quosque dignis beneficiis sublevare et munifico promovere successu, ut et ad serviendum alacriores fiant domestici et in bonam spem fiducialius erigantur alieni. Unde quia quoslibet imperii fideles eorumque necessitates pre oculis habere debemus, maxime tamen ad domesticos fidei respiciendum esse censemus, qui pro imperii honore et nostro amore se ipsos et sua cottidianę morti exponere non formidant. Ea propter indubitanter cognoscat tam futurorum quam presentium fidelium etas, quod nos pro dilectione ac petitione fidelissimi nostri marchionis Teoderici, qui assiduis laboribus nostris nobiscum insudare et cottidianis periculis pro statu imperialis coronę communicare numquam abhorruit, septem mansos sitos in pago Merseburgensi inter ipsam civitatem et villam Gerwardesdorf, quos predictus marchio a nobis in feodum habet, et sui homines per eum beneficii iure habere dicuntur, beato Iohanni baptistę et glorioso martiri Laurentio venerabilibus scilicet patronis eccliesię prefatę civitatis de proprietate regni ex clementia imperiali tradidimus simulque proprietatem et usumfructum eorundem cum omnibus ad ipsos mansos pertinentibus, videlicet viis et inviis exitibus et redditibus areis cultis et incultis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus supra memoratę eccliesię libera facultate concessimus stabilique iure ipsa bona possidenda donavimus. Ut autem hæc tradicio nostra rata et inconvulsa permaneat, presentem inde paginam conscribi fecimus eamque sigilli nostri impressione muniri iussimus et insigniri. Cuius traditionis testes sunt. Reinaldus Coloniensis archiepiscopus. Everhardus Bambergensis episcopus. Henricus Wirzeburgensis episcopus. Henricus Leodiensis episcopus. Ortliebus Basiliensis episcopus. Cunradus palatinus comes de Rheno. Teobaldus dux Boemie. Otto marchio Missinensis et frater eius comes